



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MONROVIENSIS** PROVINCIA
ECCLESIASTICA IN LIBERIA CONSTITUITUR, EX
ARCHIEPISCOPALI METROPOLITANA ECCLESIA MONROVIENSI ATQUE
DIOECESI SUFFRAGANEA RESIDENTIALI CAPITIS PALMENSIS CONSTANCE

Patet Ecclesiae universae administrationem, per dioeceses factam toto orbe terrarum dispersitas, optimam esse christiani gregis regendi formam, utpote quae ab ipsis Apostolis ducat originem sitque longissima saeculorum serie probata. Hanc igitur constitui est opportunum, ubi condiciones id sinant et postulent. Inde, cum in Liberia catholica fides copiosos iam ediderit fructus et haud dubia provideantur incrementa, Nobis visum est in ea Provinciam ecclesiasticam condere, ut hinc Ordinariorum, Sacerdotum indigenarum, Missionariorum, Religiosarum et Laicatus catholici animus foveatur ad multiplicandas operas apostolicas, simulque iisdem perhibeatur merita laudis testimonium et Christifidelium augeatur spiritalis utilitas. Quam ob rem, audita sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum, acceptoque quorum interest favorabili voto, suprema Nostra Apostolica usi potestate, Vicariatum Apostolicum Monroviensem ad dignitatem evehimus Ecclesiae Archiepiscopalis-Metropolitanae, atque Vicariatum Apostolicum Capitis Palmensis ad dignitatem dioecesis, Monroviensi suffraganae. His autem Ecclesiis Pastores prospicientes, Venerabilem Fratrem Michaellem Kpakala Francis a titulari sede Ausuccurensi ad priorem, atque Venerabilem Fratrem Bonifatium Nyema Dalieh a titulari sede Talaptulensi ad alteram transferimus : qui suas sedes collocabunt in sua quisque urbe, a qua circumscriptio ecclesiastica nomen sumet. Archiepiscopi Monroviensis cathedra erit in ecclesia Sacratissimi Cordis Iesu in urbe Monrovia exstructa ; Episcopi vero Capitis Palmensis in ecclesia Sanctae Teresiae a Iesu Infante dicata in urbe vulgo Cape Palmas dicta. Quod ad mensas episcopales attinet, hae bonis efficientur, quae iam ibidem sunt, fidelium oblationibus ac subsidiis Pontificalium Operum Missionalium. Decernimus insuper ut pro canonicis consultores dioecesani ad normam iuris eligantur et adhibeantur, dum coetus canonicorum constituatur ; denique, ut Seminarium maius, quod in praesentia tamquam Seminarium regionale existit in loco vulgo appellato Gbarnga, in finibus Archidioecesis Monroviensis, pro tota Provincia ecclesiastica sit.

Ad haec omnia perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Ioannem Dyba, Archiepiscopum titulo Neapolitano in Proconsulari atque Apostolicum in Liberia Pro-Nuntium, vel quem ipse legaverit, datis ad id necessariis facultatibus.

Re vero facta documenta exarari iubemus horumque sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione mitti. Has denique Litteras Nostras volumus firmas et efficaces esse nunc et in posterum contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	AGNELUS Card. ROSSI <i>S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Liborius Scaccia *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 4, pp. 375-376

© Copyright 1981- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana